Explanationum Horatianarum prooemium

Karl Friedrich Heinrich

Ier. Marklandus, inter claros Criticos transmarinos post Richardum Bentleium, in hoc genere literarum ducem ac principem, cum ingenii facultate, quam ratione regebat, quaque modeste fere et prudenter utebatur, tum copia doctrinae, quae in ipso amplissima et uberrima erat, magnam imprimis auctoritatem adeptus ac dignitatem, ille igitur in appendice libri, quo Euripideas Supplices illustravit, ubi selecta aliquot exponit specimina artis suae, tandem ab Horatio decedens, cuius plura operum loca praeter alia aliorum scriptorum in superioribus paginis percensuerat, gravi concludit professione huiusmodi: »In hoc auctore«, inquit, »post omnia quae in eum scripta vidi, *innumera* sunt, quae non intelligo. In toto opere vix una est Ode, Sermo vel Epistola, in quibus hoc non sentio, dum lego. Neque adeo miror; cum haec obscuritas (*quo vitio* ille *minime tenebatur*, teste Suetonio in Vita eius) a posteris invecta fuerit«: et quae sequuntur.

Videlicet posteros dicit vir doctissimus multitudinem corruptorum, qui medii temporibus aevi et vero iam prioribus seculis, quum aut describerent vetusta exempla aut descripta ab aliis emendarent, plurima et foedissima saepe vulnera sanis integrisque corporibus inflixerunt, eamque veteribus literarum monumentis atque adeo ipsis literis calamitatem attulerunt, ut, quae, dum recta et pura essent vitiisque immunia, propria et nativa verborum sententiarumque claritate facile ab omnibus, qui quidem intelligere aliquid didicissent, perciperentur, eadem nunc, ut

multiplicem corruptelam vel temeritate vel errore et incuria contraxerunt, lectorem incautum quidem et hebetiorem lumine falso et specioso plerumque decipiant, at contra perspicaciorem atque talem omnino, qualem requirunt veteres lectorem, illata extrinsecus obscuritate tenebrisque adventitiis impediant. Etenim, ne nunc alia dicamus genera, variis ab causis profecta, obscuritatis est genus quoddam, ab isto qua origine qua ratione prorsus diversum, proprium id scriptoris et genuinum, atque vitium orationi inustum, quae, quum sensa mentis eloqui clare ac lumen adhibere rebus debeat, magis culpa sua tenebras affert intelligendique difficultatem inducit. Cuiusmodi vitium tantum abest, ut cadere in Horatium, aut in quemlibet bonum aetatis Augusteae scriptorem, possit, ut, quod apud Suetonium extat, etiam Epistola quaepiam, Horatiano sub titulo circumlata, propter id ipsum, quod obscuro esset sermone scripta, tantum nomen falso praeferre iudicaretur. Nisi forte quis paulo ineptius cum novitio quodam enarratore notum illud »brevis esse laboro, obscurus fio« pro confessione habere velit, quam de se ipso ad Pisones poeta ediderit, velut tenebras excusans, quas solus auctor scilicet videret in operibus suis, ne ab adversariis quidem, quos constat bene multos habuisse, animadversas! Ergo si per veteres hoc licuit, ut integro in scripto iusta *νοθείας*, id est falsitatis, suspicio sola ab hac publica laude perspicuitatis duceretur, et nos etiam hodie eandem, quamvis, ut ex magna temporum longinquitate, vix per caliginem conspicuam, tamen et sentire facile possumus et debemus concedere: cur non eadem aeque valeat suspicio ac ratio falsitatis, quoties in singulis locis, omnibus frustra tentatis remediis, mala usque obscuritas et difficultas resideat, prorsus illudens operam probi ac diligentis interpretis, sed quae forsitan victa tandem cedat auxiliaribus armis Divae Criticae averruncae?

Sed quam obscuritatem dicit ille, in legendo Horatio sibi tam crebro tot difficultates creantem, inque multis poematum locis depravationum indicia praebentem, ea utique talis existimari debet, quam fere ne sentiunt quidem lectores leviter eruditi mediocriterque intelligentes, qui adeo nec satis, quam variam et iniquam saepe veteres libri habuerint fortunam, considerant, neque sciunt, quibus in rebus recte legendi vis et perfecte intelligendi utilitas contineantur; imo obscuritas est ea, quae doctissimum quemque non tam absterret, quam potius ad investigandum impellit, quo in loco consistat, quoque fluxerit a fonte: sic ut ab molesta hac locos obscuros inquirendi et commonstrandi diligentia haud raro unica inveniendae veritatis ac novae lucis eruendae ratio et via procedat *). Atque illuc omnino pars redit

*) Plura ad hanc sententiam congruenter profert ipse Marklandus in egregia Praefatione ad Statii Silvas, a se correctas, et sat multa rei exempla vel in Notis illis ad Statium reperiuntur, e quibus uti ars ipsa sic etiam artis abusus quidam cerni varie et cognosci potest. Nempe magna in ea vis quidem ingenii est; quo tamen solo minime omnia nec continentur, nec perficiuntur. Non est enim minor censenda efficacia ac sane necessitas iudicii: quod etsi usu praesertim et exercitatione comparatur, manet tamen honos quoque suus atque utilitas bonis praeceptis, qualia multa, ut solet, cum scientia tradit Beckius in Comment. I. de Interpret. Vett. Scriptor. § 5.

Ceterum quod post paulo dicimus de arte critica, quae obscura illustret et patefaciat, idem, sed aliter, dicit Ruhnkenius in praeclaro Elogio Ti. Hemsterh. p. 4. nuperae Opuscul. edit. Leidensis, Criticae praeter alia hoc munus tribuens, ut »obscuris sive rebus sive verbis lumen affundat«. Formula loquendi *lumen affundere* vulgo usitata

bona artis criticae et philologicae disciplinae; quandoquidem in hoc utraque elaborare idque propositum consequi potissimum debet, ut, quaecunque obscura et abstrusa sive in verbis sive in rebus ac sententiis inveniantur, ea illustret ac patefaciat, idque fieri nullo pacto potest, nisi, quae obscura sint vere, prius indagentur subtiliter, definianturque accurate et ex causis suis.

Verum id nemo mirabitur. praeter eum, qui huius vim disciplinae naturamque ignoret. At enim illud paulo magis contra exspectationem acciderit, atque etiam commoverit fortasse aliquem, rem minus ex iusto aestimantem, quod Marklandus, de selectis unus iudicibus, virque tam excellens doctrina, tot locis obscuris (innumeros ipse appellat) in singulis fere Horatianis poematis semet offensum impeditumque dicere tum maxime potuerit, quum iam diu extaret Phidiacum opus, Horatius a Bentleio emendatus, et abhinc multos annos, ut in manibus

hodie Latine vel non Latine scribentibus; sed veteribus non item: ut mirandum sit, quod ea Ruhnkenium fallere potuerit, utpote in paucis summum pure emendateque scribendi artificem, eundemque doctissimum correctorem ipsius Mureti. Neque id monuissemus, tam minutum, et de eo viro, cuius in his literis auctoritatem omnibus modis retinendam colendamque arbitramur, nisi celeberrimum scriptorem et Ruhnkenium alterum nuper in Praefatione ad Quatuor Oratt. Ciceronianas loqui similiter vidissemus de aliqua commentandi ratione, »quae tantam *lucem* his studiis nostris *affudit*«. Sed haud scio an alibi quoque in ista latinitatis schola eiusmodi aliquot herbulae nascantur, quibus creditur male, quasque secunda imposterum litura compescet. Interim hae ipsae delectare possunt, »veluti Balbinum polypus Hagnae«.

literatorum, sic in omnium admiratione esset *): quo in opere correcta plus octingentis locis videre haec poemata licet, toties antehac correcta. Nec tamen omnino is fuit Marklandus, ut videri queat ullo modo istud simulate dixisse et veluti malignus Bentleiani nominis obtrectator. Adeo multa sunt, quae et ubique candidum viri animum probent et ipsum iustissimum imprimis Criticorum principis existimatorem admiratoremque ostendant.

Hic sane quam multa dici possent partim de ingenio Marklandi, acutissime plerumque cernentis et scientissime iudicantis, qui tamen nonnulla naturae inclinatione ad corrigendum interdum propensius ferebatur in eoque calidior erat, partim de singulari interioreque huius criticae artis ratione ac maxima eius difficultate, per quam ne Bentleiis quidem conceditur, prorsus ut cuncta explanent, eruendumque nihil posterorum diligentiae relinquant: et dici etiam de laudibus posset virorum optime meritorum, qui certatim recenti aetate atque nostra adhuc ad alteram duntaxat partem Venusini poetae utilem ac probam illustrandi curam operamque contulerunt, quorum adeo diligentia putaveris effectum fuisse, ut tenebrae ac nodi, de quibus olim in tot locis Odarum post Bentleium etiam Marklandus sive iure sive iniuria conquestus erat, nunc plane nulli superessent, ac saltem Carmina, ut prope onusta hodie extant copiosissimis commentariis, omni ex parte et

*) Recordandum est, Horatium a Bentleio esse vulgatum a. 1711., quum iam ipse quinquaginta annos haberet, et tum puer adhuc esset Marklandus; qui quidem ponere eruditionis tirocinium publice demum coepit 1723., iamque senex et veteranus factus erat, quando ista eius de Horatio confessio publicabatur.

prorsus affatim complanata illustrataque legerentur. Ac forsitan de illorum quoque tam multorum studiis paululum quaeri liceret, qui temporibus his varia profecto, nisi quis dubiam malit dicere, fortuna veterem et Latinum poetam novis patriisque et interdum suis linguis loquentem introduxerunt: ut nimirum intelligi posset, quantulum id sit, quod lucrifactum ex studiis eiusmodi ad hoc ipsum, quod cum maxime petimus, videri debeat. Non etenim hominis lusum bona otia fallentis, sed magnam sane et difficilem artem putamus, verba et multo magis vim veterum ingeniorum nostris linguis interpretari, in tantaque et paene incredibili diversitate et, ut ita dicam, dissonantia linguarum non dissimilem vetustae reddere naturam ac proprietatem: qua in arte operae pretium nemo fecerit, nec potuerit in ea vera cum laude utilitateque versari, nisi praeter alias virtutes imprimisque cognatum scriptori ingenium, aliquantum eius quoque afferat facultatis, qua et obscura, qualia sint cumque ea, animadvertat, et animadversa explanare doctrina illustrareque possit. Sed talia exsequi disputando cum nunc minus necesse sit, tum vero alienum ab huiusce prooemii instituto est. Et praestat omnino, non ratiocinando experiri, quod exemplis docendum est, sed potius specimina proferre de eo multiplici genere explanationum, cui etiam nunc materia satis larga Horatianis in scriptis suppeditat, quae nondum exhausta prorsus vel aliorum adhuc studiis occupata et elaborata esse videatur. Sed quoniam aut minus id recte praedicari de Carminibus Horatianis potest, ubi e segete a tam multis peritisque messoribus facta ad spicilegium fortasse relictum est parum, aut nos aliorsum tacita quaepiam voluntatis propensio vocat, collectam digestamque de *Sermonibus* commentandi materiam explicare est visum. Quod antequam incipiamus, quum de hoc genere poematum variae dissensionibusque eruditorum

distractae sententiae ferantur, ea de re brevem exordium hoc disceptationem habebit.

Verum, ut statim dicamus, Horatii Sermonum numerandos utique arbitramur libros quatuor, quum vulgo Sermonum seu Satirarum libri nonnisi duo numerentur, segregati illi quidem a totidem libris Epistolarum; istoque nomine poetae omnia, quae praeter Lyrica scripsit *sermoni propiora*, et cuncta igitur monumenta Venusinae *Musae pedestris* complectimur. In qua eadem haeresi haud scio an iam pridem fuerit is, qui seculo decimo sexto Venetiis apud Nicolinum eam partem Horatii poematum edidit hoc instructam titulo: »Sermonum libri IV, seu Satyrarum libri duo, Epistolarum libri duo«: quamquam id sine dubio considerate prudenterque institutum nemo postea videtur sequi imitarique voluisse. Atqui nomine hoc *Sermonum* nullum omnino potuit ad rem aptius et congruentius vel ab ipso excogitari scriptore vel ab amicis suppeditari, quo scilicet Latinum genus et Romanis proprium a Graeco *Carminum* genere, a Graecisque exculto, distingueretur: illamque communem appellationem Satiris et Epistolis tum comprobatam a poeta fuisse, tum crebro aequalibus usu notam et pervagatam, si dubia res foret, rationibus probis facile coargui posset. Quo tametsi isthaec differentia, qua contendunt haec scripta dividi oportere, confundi male et revelli videri possit, ea non sic revellitur tamen, sed, ut par est, revocatur iustum ad modum suum. Ac sane rebus quibusdam discrepare a Satiris Epistolas, et inter utrasque interesse nonnihil: id et olim iam animadversum est a peritioribus Grammaticis, et minus omnino ad intelligendum difficile est. Quamobrem non tam illud, ut opinor, hodie inquiri poscit, an haec differant scripta, quibusque differentia rebus cernatur; imo hoc

potius considerandum est, quibus a causis illa venerit differentia, et quo ducere, recte definita, possit. Etenim, si verum cogitare velimus, aliud est profecto, in uno eodemque genere diversitates operum et dissimilitudines agnoscere; aliud, operam ex eodem genere diversitate ad genera ipsa discernenda abuti. Ac fuit iam olim Casaubonus, qui de Epistolis fateretur, eas excludi Satirarum appellatione numeroque non posse: at idem mox genera duo fecit inter se diversa, non diversa generis eiusdem poemata, unum Sermonum genus seu Satirarum ἐλεγκτικόν, alterum Epistolarum seu Satirarum διδακτικόν. Quae quidem immortalis viri doctrina, toties verbis ipsius fere ab omnibus decantata, qui suo quisque modo eisdem de rebus nota atque ignota tradiderunt, vel ad hunc usque diem suum sibi seu cognitorem deposcit seu ultorem. Quid enim? ipsum hoc genus διδακτικὸν multo rectius magisque ex usus proprietate δογματικὸν appellatur: qua in re paulum falsus est memoria Casaubonus, cui fortasse in animo haerebat locus Quintilianeus Instit. Or. II, 15, 26. Is autem locus comparatus dubitationem moveat necesse est, quod ibi rhetorica partitione Socratici sermones Platonis alii ἐλεγκτικοὶ vocantur et alii δογματικοί: sic ut partes sint duae, species quas vulgo dicimus, quae genere uno sermonum sive dialogorum continentur. Iam vero rationem usque requirimus, cur, quam Rhetores sua in arte fecerunt divisionem, eandem in poesi quoque credamus veteribus placere debuisse, et in eis quidem poematis, quae ipse Casaubonus communi ac vetusto Satirarum nomine comprehendit. Deinde, si Lucilianam hanc voluminis utriusque appellationem ad universum genus aptam congruentemque arbitramur, causa idonea quaerenda erit, cur non altera Sermonum appellatio pertinere ad totum genus aequo iure possit, et ad Satiras tantum ἐλεγκτικὰς referatur, quas secundum Casauboni edictum

literatissimus quisque affirmat antiquiore potius Sermonum, quam recentiore illo Satirarum titulo nominandas vulgandasque esse. Nempe id planum fit, inquit, antiquiorum testimoniis Codicum. Quasi vero iam satis adhuc quaesitum a quoquam et explicatum fuisset, quid et quatenus aliquid probari posset his tam suspectis infirmisque testimoniis Grammaticorum illorum ac librariorum!

Enimvero prius illud nobis maxime facere cum ratione videmur, quod discernendis generibus veterum etiam auctoritatem postulamus, si non traditam aperte clarisque sententiis expressam, at eam saltem, quae aliis ex praeceptis elici queat, neque artibus veterum et doctrinis repugnet. Nunc autem iubent nos teste esse contentos, illo quidem ad speciem haud contemnendo, sed qui, propius spectatus, ne dicit quidem, quod dicere existimatur. Testis hic Statius est, cuius in Silvis alicubi talis extat Satirae commemoratio, inde ut intelligendum sit, verbis ad eam rem electis aliam omnino, quam Horatianam, significari; et alterum ibidem additum Epistolae nomen, quale ad genus pertineat, in eisdem Silvis satis multa sunt poemata, quae dubitantem docere possint *). At contra in prooemio huius poetae libro tertio

*) Sunt versus huiusmodi Silv. I, 3, 99., quos integros afferre libet, quo facilius de re iudicium fiat.

Hic tua Tiburtes Faunos chelys, et iuvat ipsum
Alciden, dictumque lyra maiore Catillum:
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Seu chelyn tollas heroa ad robora, sive
Liventem Satiram nigra rubigine turbes,
Seu tibi non alta splendescat Epistola cura.

Silvarum praemisso verba eiusmodi leguntur, (»Hic, si verum dicimus, Sermo est«; et reliqua) quae plane demonstrant, formam aliquam carminis epistolicam ab ipso agnitam fuisse, quae, ut natura erat sermoni familiari propior, praecipueque elocutionis genus λεκτικὸν habebat, Sermo proprie apteque diceretur. Atque hinc plane intelligendum est, quam causam vimque propriam habeat isthaec appellatio Sermonum: quippe ad elocutionem, Satiris Epistolisque communem, appellatio pertinet; neque in ea re Graecorum exemplum Romanis defuit, quique illis οἱ λεκτικοὶ τῶν λόγων, ab his non aliter quam Sermones dici potuere. Tale quid tetigit Ernestius in Lex. Technol. Gr. Rhet. p. 197., sed explicuit parum, utpote ignarus loci primarii et maxime luculenti, qui est Demosthenis in Orat. Amator. Vol. II. Reisk. p. 1401. 19. ubi conf. Apparat. crit. Vol. III. p. 1731. Iam quid veteres statuerint, ea quidem aetate, quae in scribendo inveniendoque magis quam in dividendo occupata erat, nec in simili genere operum dissimilitudinem alienis ex rebus anquirendam solicite et iactandam putabat; sed quid veteribus placuerit, necdum curatum atque animadversum, quum nonnisi de suo sensu et iudicio Chorizontes isti Horatiani laborandum existimarint, id memorabili ostendit silentio Quintilianus, quo loco in illo recensu classicorum scriptorum ita genera enumerat poesis Horatianae, ut, quum tamen Satiram nominet, de Epistola dicat ne verbum quidem. Nisi opinari aliquis velit, hanc non dignam visam fuisse praeceptori doctis-

Dicit *Satiram* poeta et *Epistolam*, genera suo tempore multorum studiis tractata, et illam quidem *liventem*, qualem Iuvenalis aliique amplexi erant; hanc ex ea ratione, qua poema genere non definitum, argumento varium, ad instar epistolae certo nomini inscriptum appellatur Epistola, sic tamen, ut non minus apte recteque dici Sermo possit.

simo, quae serie in ista nominaretur. Quod quum ludicrum sit fere, neque alia probabilis ratio omittendi reddi queat, sequitur, vocabulum Satirae ab eo latius esse acceptum, quo universum genus Sermonum designaret *). Hoc igitur unum restat, ut quaeratur, cur alterum prae altero maluerit Quintilianus nomen usurpare. Quae quidem etsi solvi potest quaestio, nunc tamen id agere minus necesse est. Quid vero? nonne contra hanc generum partitionem etiam gravius secundo auctore primarium ipsius silentium poetae pugnat? Atqui, quotiescunque in scriptis de se ipso suoque carmina pangendi studio testatur, nusquam locorum Epistolam sic definite distincteque commemorat, ut inde colligi vel leviter possit, ipsum a Satira sive Sermone novum genus epistolare seiunctum separatumque statuisse. Ex quo plane error consequitur, qui ex uno genere duo eaque diversa fingit: tanquam sic temere ignotum genus potuisset excidere ipsi non cogitanti poetae. Atque si ea, qualem persuadere volunt, vera esset diversitas, sane repeti illam ipso a Lucilio oporteret: etenim is ipse fuit, qui iam scriberet Satiras epistolarum forma

*) Pervulgatus est locus Quintiliani X, 1, 94 seqq. Is autem locus centies exscriptus et pertractatus non una ex parte etiam nunc desiderat lumen suum. Interim hoc iuvat monere, quod insignis loci sententiam usque imprimis obscuravit. Satirae genus duplex affertur, unum Lucilianum et Romanis domesticum; deinde alterum, de quo in omnibus scriptis impressisque libris haec verba leguntur: »Alterum illud est, et *prius* Satirae genus, quod . . . condidit Terentius Varro«. Breviter hic dicere licebit, per eos nimirum, qui loci difficultatem norunt, istud *prius* depravatum esse ex compendio literarum, quum auctor scripsisset *peregrinum*. Domestica erat Satira Luciliana, et haec altera peregrina, ab inventore videlicet Graeco.

compositas: quamquam nemo unquam repertus est, qui propterea segregandas a Satiris Lucilianas Epistolas, atque adeo genera discernenda contenderet. Igitur ut paucis concludamus: quod de Lucilio verum est, non est de Flacco minus verum: quemadmodum ille Satiras scripsit, genus non in genera dissecandum, sed argumentis compositioneque variatum et velut multiplicatum, ita hic quoque in simili genere est versatus, eoque similiter variato et amplificato. Sed hoc genus unum et simplex est, varietatemque sua ipsius natura et proprietate assumit: quam quidem proprietatem tuebatur Satirarum quisque scriptor; et sunt Persii etiam epistolae in Satirarum volumine. Sed huius appellationis suas si causas videbat Horatius repudiandae, praetulit alteram *Sermonum*, amplissima aptissimaque hoc multiforme genus significatione comprehendentem. Alioqui nihil obstabat, quo minus cognato in genere antiquius nomen et Lucilianum probaret. Illud autem, utrumcumque maluerit, nomen tam commune et consentaneum huic generi universo fuit, ut prorsus credibile videatur, alio nec opus fuisse, quod adeo scripto de Arte Poetica tribueretur: quippe et hic profecto est Sermo ad Pisones. Sed de ratione huius inscribendi libelli nuper novos quosdam Editoris alicuius tinnitus accepimus, qui in summa, quam quidem sonant, arrogantia ad id, quod verum in re est, cognoscendum aut nihil faciunt aut parum; de eaque re alius imposterum disputandi locus erit, ut vel in tenui argumento pugnantium dissidia opinionum meliore rerum quarumdam notitia componantur.

Isto igitur iudicatum est modo de hoc genere poematum tum ab ipso auctore tum ab aequalibus et proximarum aetatum literate peritis: qui quidem si quando animos attendere ad dif-

ferentiam coeperint, de ea haud secus quaerere potuerunt, quam fere in alio dissimilique genere a Longino quaesitum est, quid discriminis Homericam inter Iliadem et Odysseam interesset. Ita, quum poemata haec multis sane differant numeris, atque ea et facile sentiatur differentia et liberaliter verbis explicari possit, ne tamen ipsa ex veritate nascatur error, paulo etiam cautiore iudice opus erit, quique de omni veterum poesi aliter statuat, quam statui ex vulgaribus novisque et commentitiis praeceptis atque formulis potest.

Ista nunc quidem sufficiant, quae scripta Explanationum Horatianarum fasciculo, cuius iamiam editionem paramus, interim emissa voluimus, ut, quum gratiora forsitan lectoribus et certe nobismet ipsis optatiora perficiendi evulgandique opportunitate exclusi essemus, hac tamen προγραφῇ, praesenti, quo cum maxime tenebamur, satis officio faceremus. Instante etenim Die candido et fausto, utpote Natali AVGVSTISSIMI REGIS, ACADEMIAEQVE CLEMENTISSIMI RECTORIS ET CONSERVATORIS,

CHRISTIANI VII.

indicenda sunt Sacra, quae eodem die veteri more institutoque maiorum concelebrabuntur. Erit solemnis Academiae conventus in Auditorio maximo hora 12., ubi prodituras in suggestum Professor Humanarum Literarum ordinarius Vota publica Oratione sua, id est, Latina interpretabitur. Simul Vestra res agitur, quotquot, praesertim in difficili hoc civitatis statu, REGIS vita

totiusque REGIAE domus prosperitate laetamini nobiscum, Patriamque, uti fas est, votis optimis prosequimini! Vos igitur omnes, Proceres, Hospites, Cives literatos, solemnem panegyrin praesentia Vestra et frequentia augere atque ornare velitis, summo cum studio ac reverentia rogamus et invitamus.

P. P. Kiliae, in Academia Regia, a. d. 26. Ianuarii, 1808.